I/83

Vadiano suo Glareanus S. D.

Scripseram, mi admodum multi elapsi sunt dies, suauiss. Ioachime, ut ualerem, ut uiuerem, ut ualeret Erasmus literarum parens, neque an eas adceperis literas ignoro. Scribam itaque et nunc sed breuiter. Valeo recte, ualet Erasmus, nisi quod ingrauescens aetas nonnihil uiro incommodet. Rem familiarem coepi, sed me pro Iuppiter quot hic curas, quot aerumnas uidi. Caetera satis feliciter, ciuitas Basiliensis fauens mihi. Iuuenis etiam bonae spei. Cum filio D. Casei ita benigniter egi, ut sentiat tuam commendationem non parum illi profuisse. Deest illi Dictionarium graecum, sine quo difficulter discet, ut scis, graece. Gramaticam habet. Est iuuenis elegantis ingenii. Et qui R. praeceptore habuit non poenitendum. Sed leuis es. In alteris literis hoc quoque annotaueram. Scripsisse ad me Cos. Madium Glareanum ut Quaestori oppidi nostri scribere dignarer de conditione hic et mensae & domus. Sat dixeram tunc uel tibi scribere. Si conditionem meam ferre potest, non censeo uel noue mo. Nam in mensa non minus xxxvi aureos accipio, sed addo hospitium et laborem docendi. Caetera ipse sibi constimat. Sin apud Ciuem aliquem esse uolet, de labore docendi quattuor Coronatos accipio, atque id forensis satius illi esset. Verum postulat in medium. ego quod uolet lubens ferro. Et sunt qui liberos mensa quam liberius habitent quam apud me, sunt item qui alibi eos libentius. Ego quod res habet apud amicum libere confiteor, in mensa inuitus accipio eos, quod non sunt proprii solicitudo. Id autem causa est. Lanii morosi, pistorum officium non omnino fidum. Ego aes alienum conflare aliorum de causa nolo. Satis alioqui saxum magnum uerso. ait ille. Tu illi loquitor si commodum uidetur. Non quod ambiam, ea enim de causa ad eum scribere nolo. Sed ne uel Cos. Madium incuset indiligentiae, uel me arrogantiae inofficiosae. De uxore ducenda nihil dum mutaui. Nisi quod istam tigurinam prorsus ex animo abieci meo, neque id unam duntaxat ob causam. Atque utinam tu uel semel uenias Basileam ut Erasmum uideas hominem tui amantissimum. Confabularemur suauissime. quid multis? omitte te nugis. Sed ineptiarum satis. iam desino esse molestus. Vale & me ama, cum D. Caseo dicas me filio non defuturum. Nam ita tu orasti immo uero exorasti. Cui parendum etiam si nudum saltare iusseris. Basileae ex aedibus nostris Anno Christi M. D. XXII. ad quartum idus Ianuarias

Glareanus.

D. D. Ioachimo Vadiano. viro
humanissimo, doctissimoque
amico inseparabili.

In oppido S. Galli